

Senatus consultum de Bacchanalibus

[Q.] Marcius L.f., S.Postumius L.f. co(n)s(ules) senatum consoluerunt n(onis) Octob(ribus) apud aedem | Duelonai. Sc(ribundo) arf(uerunt) M.Claudi(us) M.f., L. Valeri(us) P.f., Q. Minuci(us) C.f.

De Bacanalibus quei foideratei | esent, ita exdeicendum censuere : Ne quis eorum [B]acanal habuisse uelet ; seiques | esent, quei sibei deicerent necesus ese Bacanal habere, eeis utei ad pr(aitorem) urbanum || Romam uenirent, deque eeis rebus, ubei eorum u[e]r[b]a audita essent, utei senatus | noster decerneret, dum ne minus senator<i>bus C adesent <quom e>a res consoleretur. | Bacas vir ne quis adiese uelet ceius Romanus neue nominus Latini neue socium | quisquam, nisei pr(aitorem) urbanum adiesent isque de senatuos sententiad, dum ne | minus senatoribus C adesent, quom ea res cosoleretur, iousident. Censuere.

|| Sacerdos ne quis uir eset ; magister neque uir neque mulier quisquam eset ; | neue pecuniam quisquam eorum comoine[m h]abuisse uelet ; neue magistratum | neue pro magistratu[d] neque uirum [neque mul]ierem qui<s>quam fecise uelet ; | neve posthac inter sed conioura[se neu]e comouisse neue conspondise | neue compromesise uelet neue quisquam fidem inter sed dedise uelet. || Sacra in [o]quoltod ne quisquam fecise uelet, neue in poplicod neue in | preiuatod neue extrad urbem sacra quisquam fecise uelet, nisei | p(raitorem) urbanum adieset, isque de senatuos sententiad, dum ne minus | senatoribus C adesent, quom ea res consoleretur, iousident. Censuere. |

Homines plous V oinuorsei uirei atque mulieres sacra ne quisquam || fecise uelet, neue inter ibei uirei plous duobus, mulieribus plous tribus | arfuise uelent, nisei de pr(aitoris) urbani senatuosque sententiad, utei suprad | scriptum est.

Haice utei in couentionid exdeicatis ne minus trinum | nouindinum, senatuosque sententiam utei scientes esetis, eorum | sententia ita fuit : sei ques esent, quei aruorsum ead fecisent quam suprad || scriptum est, eeis rem caputalem faciendam censuere ; atque utei | hoce in tabolam ahenam inceideretis, ita senatus aliquom censuit, | uteique eam figier ioubeatis, ubei facilum ed gnoscier potisit ; atque | utei ea Bacanalia, sei qua sunt, extrad quam sei quid ibei sacri est, | ita utei suprad scriptum est, in diebus X, quibus uobeis tabelai datai || erunt, faciatis utei dismota sient. In agro Teurano.